

*De effectu infrasertorum Articulorum, relate ad Regna Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in Diaeta Anni 1791. conditorum procurando.*

### Articulus 18.

Erga demissam Statuum et Ordinum Propositionem, Sua Majestas Sacratissima benigne declarare dignata est, Individuis praefatorum Regnorum jam hactenus quoque ad Dicasteria applicitis, semet ad effectum Articuli 58. An. 1791. benigne curaturam, ut emergentibus vacantiis Individua eorundem Regnorum sanguanter ad Officia etiam subalterna applicantur.

Modernis autem bellicis Circumstantiis neutiquam admittentibus, ut Commissione relate ad petitam plagae inter viam Carolinam et Josephinam sitae, incorporationem, nunc statim exmittatur, mutatis subinde rerum adjunctis circa procurandam Articuli 62. An. 1719. effectuationem, necessarias Dispositiones se illico facturam.

Non secus Commissionem pro incorporatione Generalatus Varasdinensis et Oppidi Czirkveno, ad Statum privilegialem repositione ad effectum Articuli 63. An. 1791. suo tempore exmittendam, ubi subversantes pares circumstantiae ad miserint, sibi curae futuram.

Circa desumptam demum huic in obversum Articuli 64. An. 1791. in Confiniis Militaribus a Nobilibus et Civibus Taxam, semet capta praevie adaequata Informatione, effectum ejusdem 64. Articuli quo ocyus benigne procuraturam.

## FRANCISCI II. IMPERATORIS & REGIS I. DECRETUM III. ANNI 1802.

*De Effectu Articulorum 56. An. 1741. et Art. 60. An. 1790. quoad Liberam, Regiamque Civitatem Segniensem conditorum, procurando.*

### Articulus 11.

Gratiissimo animo exceperunt Status et Ordines, benignam Suae Majestatis Sacratissimae erga demissum eorundem quoad Liberam et Regiam Civitatem Segniensem interpositum Postulatum, editam Assecurationem, quod solutis praesentibus Comitiis, per exmittendam statim Commissionem, effectum Articuli 56. An. 1741. et Art. 60. An. 1790. clementer procuratura sit.

*Pro Differentiis quoad Limites Regni cum vicinis Provinciis finaliter terminandis et Metis rectificandis, Commissarii denominantur.*

### Articulus 26.

*Versus Styriam et Carnioliam.*

Ex parte Regnorum Croatiae, Sclavoniae etc. cointelligenter cum Commissione versus Styriam, ex respectu Differentiarum Comitatus Szaladiensis.